



LECTORI BENEVOLO SALV-  
TEM, AB EO, QUI EST  
vera Salus.

**D**vo sunt, de quibus, Candide Lector, in vestibulo libri moneri debes. Nosti, quid Orthodoxa primitiva Ecclesia, quid Neotericus viri doctissimi, præviâ diuinâ Scripturâ, de ἀρθεκλασία, seu panifragio, senserint: ab his autor noster pag. 225. & seqq. dissentire videtur. Sciendum tamen, quæ ibidem scripta habentur, à pacis studioso animo profecta esse. Temporis enim illius, & aliarum circumstantiarum, pacificus Theologus rationem habendam esse duxit: postea tamen ita semetipsum declaravit, ut bonis & æquis facilè satisfaciat. Neq; verò si quid infirmis ad tempus conceditur; id pertinacibus, & præfractis ideò quoq; dandum est. Atq; hoc est primum, de quo amice Lector monendus eras. Alterum est, quando quidem viri boni & aperti, liberè & candidè sensa sua soleant apud amicos expromere, confido Lectores, harum Epistolarum in optimam partem accepturos ea, quæ vel D. Zanchius, vel alii magni viri, ad ipsum de seculi illius statu, sibi mutuò perscripserunt. Quod te amice Lector, scire volui. Cætera iudicio tuo, sed candido & sincero, relinquo, teq; plurimùm saluere iubeo.

):( ):( 7